

Q. N.  
43192

II c  
1512

PRAEMISSA HAC BREVI  
DE FASTIGIO APVD VETERES ROMANOS VSITATO  
PROLVSIONE  
MEMORIAM  
POTENTISSIMI

FRIDERICI AUGUSTI  
REGIS SARMATARVM ATQVE PRINCIPIS ELE-  
CTORIS SAXONIAE SERENISSIMI  
NEC NON  
IMMORTALITER MERITI DE SAXONIA ATQVE  
INCOMPARABILIS

FRIDERICI CHRISTIANI  
PRINCIPIS REGH POLONIAE ET ELECTORIS SAXONIAE  
TRIVM MENSIVM SPATIO EHEV  
NOBIS EREPTORVM PIE VENERATVR

ET

INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMOS  
OMNESQVE ALIOS VIROS DIGNITATE FLORENTES  
NOSTRISQVE CONATIBVS FAVENTES AD  
FREQUENTANDVM

ACTVM VALEDICTORIVM  
CRASTINO ID EST XXVII. DIE APRILIS POST FINITA  
SACRA MATVTINA  
DECENTISSIME CONVOCAT

DANIEL TRAVGOTT MULLER,  
RECTOR SCHOL. SCHNEEBERG. ET SOCIET. CHRIST. CARIT.  
ET SCIENT. QVAE DRESD. FLORET COLLEGA.

TYPIS FVLDIANIS  
a. r. f. cl. b. CCLXIII.



UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

VERZEICHNIS  
DER  
BÜCHER  
DIE  
DURCH  
DIE  
GÜTE  
VON  
HERRN  
DR. THEODOR  
SCHNEIDER  
UND  
DR. ERNST  
SCHNEIDER  
GEHALTEN  
WURDEN  
UND  
DIE  
SICH  
AUF  
DIE  
GEBIETE  
DER  
MATHEMATIK  
UND  
PHYSIK  
BEZIEHEN  
DIE  
SICH  
AUF  
DIE  
JAHRE  
1850  
BIS  
1859  
DIE  
SICH  
AUF  
DIE  
GEBIETE  
DER  
MATHEMATIK  
UND  
PHYSIK  
BEZIEHEN  
DIE  
SICH  
AUF  
DIE  
JAHRE  
1850  
BIS  
1859



**T**andem aliquando dolor iste acerbissimus, idemque iustificatus, in venis atque visceribus adhuc quasi inclusus meis, erumpit, qui *FRIDERICI AVGVSTI Potentissimi* morte iniectus, *FRIDERICI CHRISTIANI, Desideratissimi Principis*, obitu, heu nimis praemature, maximopere inualuit, animoque adhuc haeret infixus, et ad vnam vsque haerebit. Pietatem in *Hofce Principes*, breuissimo temporis spatio nobis Ereptos, vt demonstrarem meam, officium hortatur, studium incitat, voluntas impellit. Animi itaque pietatem, hac publice scribendi occasione data, diutius reprimere nequeo, sed hunc qualemcunque amoris, reuerentiae atque pietatis meae arrhabonem *Istorum* memoriae lubens lugensque dare audeo, istique breuem simul de Fastigio, apud veteres Romanos vsitato, prolusionem praemitto.

Ansam huic prolusioni dedit locus quidam incluti illius confusis disertissimique oratoris, Ciceronis, in Antonium, praeter alia nefaria innumera C. Iulio Caesari diuinos honores decernentem, accerrime inuehentis. Continet eum secunda illa Philippica oratio, quae admirationem non solum Bruti atque Cassii, sed antiquorum etiam fere communem habuit (a), mihiq; aliis ab eo scriptis palmam praeripere videtur. Locus ipse ita se habet (b): Et tu in Caesaris memoria diligens? Tu illum amas mortuum? Quem is maiorem honorem consecutus erat, quam vt haberet puluinar, simulacrum, fastigium, flaminem? Et nonnullis adiectis ita pergit (c): Quaesne, placeatne mihi puluinar esse, fastigium, flaminem? mihi vero nihil istorum placet; et quae sunt reliqua.

Multa, ad hunc locum illustrandum conducentia, ideo silentio  
( 2 ) sum

a) Vti testatur Conyer Middleton in Romana Historia viuento M. Tullio Cicerone, vers. german. Vol. III, p. 132. (b) Philipp. II, C. 43. (c) l. et cap. cit.

fum pressurus, vt de Fastigio quaedam eo melius commentari que-  
 am, angustia potissimum paginae impeditus. Fastigium quamuis  
 summitatem, a fastu sic dictam, et summa aedificiorum dici fastigia,  
 vberius non persequor, omnibus nempe Lexicorum sic dictorum  
 auctoribus id docentibus (d): nec in eo multus ero, vt demonstrem,  
 per fastigium saepe indicari dignitatem fastigio humano ampliorem,  
 vti e Suetonio (e), quem et Christophorus Hegendorphinus ad hunc  
 nostrum Ciceronis locum laudat (f), clarissime liquet. Eadem caus-  
 su motus sicco quasi pede transeo, quod fastigium summo honori  
 atque dignitati tribuatur, vti, vt vnicum modo adiciam exemplum,  
 Plinius ille ingeniosissimus scribit (g): Si quid forte ex consulatus  
 fastigio fuerit diminutum, nostra haec erit culpa, non seculi; et hoc  
 ipso fastigii nomine non ipsam solum consularem dignitatem, sed  
 etiam auctoritatem Consulium, stante republica vigentem, et Taiani  
 aetate aliquo modo reuiuiscientem, designat. Et alio loco Traianum  
 Dei summum inter homines fastigium seruare, vel summa, quod i-  
 dem est, dignitate maiestateque gaudere, idem testatur Plinius (h).

Propius potius, his missis, ad scopum mihi propositum acce-  
 dens, notandum duco e Casaubono (i); fastigium aliquando esse  
*ἀπλῶς* aedificii summum, vti Festus interpretatur (k), et ita de  
 priuatorum dici aedibus; sed etiam interdum significare recti for-  
 mam Deorum templis propriam, eamque graece dici *ἀετόν* siue  
*ἀέτωμα*, vbi simul vtriusque significationis testes laudat Senecam (l)  
 et Aristophanem. Fastigium tale in tecto domus habere, nemini,  
 nisi summis viris et Caesaribus, fuit permixsum, quia nimirum or-  
 namen-

d) vid. Thesaurus Erud. Scholast. ed. Gesn. Lips. a. 1735. Vol. I. p. 946. (e)  
 Jul. Caesaris C. 76. (f) in Annotationibus in Philipp. II. quae insertae sunt  
 Enarrationibus doctissimorum virorum in omnes M. Tull. Ciceron. Ora-  
 tionibus, ed. Lugd. fol. a. 1544. p. 2197. (g) in Panegyri. Traiano dicto C.  
 93. (h) ib. C. 52. (i) in Notis ad Suetonium, Jul. Caes. Cap. 81. p. 109.  
 (k) in Corpore Auctorum Linguae Lat. ed. S. Geruasilii a. 1602. p. 287.  
 (l) Epist. 122.

namentum erat, quo templa Deorum insigniebantur. Quare Flo-  
 rum non ingratis ciuibus omnes vnus in principem, nempe C. Iu-  
 lium Caesarem, congestos fuisse testatur (m) honores: circa templa  
 imagines, in theatro distinctam radiis coronam, suggestum in curia,  
 fastigium in domo, mensam in caelo, et quae sunt reliqua. Hoc  
 fastigium, cuius hic fit mentio, Calpurnia, Caesaris vxor, ea nocte,  
 cui illuxit dies caedis illius, imaginata est collabi, maritumque in  
 gremio suo confodi (n): cui loco Perizonius subiungit (o), quod  
 fastigium domus fuerit inter honores plus quam humanos, Caesari  
 concessos, et addit, fastigia esse tantum in templis, et quidem supra  
 valuas templorum. Hinc etiam Suetonius mentionem facit (p),  
 quod Tiberius Claudius Caesar inter hostilia spolia naualem coro-  
 nam fastigio Palatinae domus iuxta ciuicam fixerit, traiecit et quasi  
 domiti Oceani insigne. Fastigia vero aedibus Deorum fuisse propria,  
 e multis auctorum probatorum comprobari posset testimoniis, e  
 quibus, tanquam e larga messe, paucas spicas colligam. Suetonius  
 potissimum meis hic inferuiat commodis, qui de Octauio, patre Au-  
 gusti, per secreta Thraciae exercitum ducente refert (q); ei Liberi  
 patris luco barbara caeremonia consulenti sacerdotes adfirmasse, fili-  
 um eius dominum terrarum futurum, quod infuso super altaria me-  
 ro tantum flammae emicuisset, vt supergressa fastigium templi ad  
 caelum vsque ferretur. Vnde fere colligimus, quod apud barba-  
 ros quoque fastigia templorum fuerint celebria. Clarius vero hoc  
 ipsum ex Aristophane de Graecis, et ex alio Suetonii loco de Roma-  
 nis elucescit. Hic ipse enim, quem antiquitatum Romanarum fon-  
 tem appellare non dubitauerim, de fastigio aedis Iouis Capitolini,  
 tintinnabulis ab Augusto, ob somnium, quod habuerat, redimito,  
 quae fere ianuis dependere dicit, mentionem iniicit (r). Tale fa-

) ( 3

sti-

m) Libr. III, C. 2. (n) Sueton. in Vita Caesaris C. 81. (o) in Annotationi-  
 bus in Suetonium editis a Christ. Phil. Koellnero 8. Wratisl. a. 1725. p.  
 156. (p) in Vita Claudii C. 17. (q) in Vita Augusti, C. 94. (r) in  
 Vita Aug. C. 91. vbi confer Casauboni notas ad h. loc.

fastigium, quo domus Caesarum et templa Deorum erant conspicua, latina lingua nominari, quod sua appellari posset Baldachinum, coniecit Hieronymus Ferrarius (f), et cum eo Franciscus Maturantius (t). Haec templorum fastigia Victoriae suffixo simulacro Romanos consuevisse insignire, ex Iulii Obsequentis libro de Prodigis, eiusque capite septuagesimo tertio comprobatur Rosinus (v). Quin et tanti eos fecisse hoc templorum fastigium, ut et ab inuidendo illo triumphantium honore id non abesse vellent, commemorat, et inde curram ipsum siue carpentum aureum dictum fuisse, idem praeter alios docet Rosinus, vel potius Dempsterus (x).

Via sic aperta, nunc tandem ad fastigium, quod Cicero nostro loco innuit, melius accedi posse confidimus. Fastigium nempe in templis Deorum atque palatii Principum magnum dignitatis maiestatisque prae se tulisse signum, dum indicauimus, facilius nunc erit demonstratum, quod illud et in ipsa Principum Consecratione habuerit locum. Suggestus nempe ille ipse, in tabernaculi formam compactus, in quo consecrandi principes comburebantur, habebat quoddam fastigium, extremum nempe minimumque tabernaculum, e quo aquila in aetherem dimittebatur, quae in caelum credebatur ipsam principis animam deferre, id quod praeter multos egregie ex Herodiano docuit Kirchmannus (y). Falcem in alienam esse immisurus messem, actumque acturus laborem, si de Consecratione apud Romanos usitata, de qua et nuperrime et alias scite fuit actum, multa in medium proferre apud animum constituerem meum. Sufficit mihi, indicasse, quod et rogos consecrandorum suum habuerit, idque insigne, fastigium.

Nunc

f) in Emendationibus in Oraciones Cicer. ad loc. nostrum, Philipp. II. C. 43. insertis Commentariis iam cit. p. 2380. (t) loc. mox cit. p. 2159. (v) Antiquit. Rom. a Thom. Dempstero auctarum, ed. Col. Agripp. a. 1662, p. 305. (x) loc. cit. p. 1685. (y) de Funeribus Romanorum, L. III. C. 13, edit. quart. p. 426. seq.

Nunc vero tandem aliquando clare, quid de fastigió, in Ciceronis laudato loco obuió, sentiam, aperire non dubito. Pulvinar nempe, simulacrum, fastigium et flaminem fuisse ea quatuor credo cum Michaelē Toxita (z), quae requirebantur, si quis referretur, vt eiusdem vtar verbis, in apothefin. Quare fastigium hoc recte explicitum fuisse a P. Carolo Merouíllio (aa), aut potius a Bartholo Lathomo (bb), e quo hanc explicationem esse desumptam, sole clarius est meridiano, eique meum adiciere calculum nullus plane dubitauerim. Ita vero fere vtriusque se habent verba: Fastigium moles quaedam erat instar pyramidis in altum extructa, quam variis picturis ornatam in consecrationibus diuorum erigere solebant. Si vero tale fastigium, talem pyramidem vel talem columnam videre gestias delineatam atque descriptam, euoluas Acta Eruditorum Lipsiensia (cc), vbi Ioannis Vignoli de Columna Imperatoris Antonini Pii Dissertatio (dd) indicatur, talisque columnae, quam ego fastigium, in Consecrationis ritu adhibitum, credo, typis aeneis exsculpta exhibetur. Ipsa illa columna descripta Pontificis Romani, tunc claus tenentis, iussu e ruderibus fuit protracta, et ex marmore rubeis maculis intermixto est confecta, cuius altitudo est pedum quinquaginta, infimi scapi crassities sex, ambitus vero viginti; stylobates autem ex vnico integroque Pario marmore magnitudinis minime obuiaae, latitudinis duodecim, atque altitudinis vnde cim pedum. Haec vero paullo vberiora ideo adscripsi, quia nec Vignoli dissertationem, nec Acta Eruditorum cuiuslibet manibus terri, persuasum habeo. Fastigium autem huic dissertationi nunc impono, et quae plura de eiusmodi fastigio, siue mole instar pyramidis in altum extructa in Consecratione Diuorum vsitata, dici possent, sicco praetereo pede, vnicum hoc adiecturus, quod ita falsum omni-

z) in Commentar. ad h. Ciceronis locum l. cit. p. 2236. (aa) in Orationibus Cicer. Select. in vsum Delphini ab ipso edit. Cantabrig. a. 1699. p. 459. (bb) in Comment. ad h. loc. libr. cit. p. 2189. (cc) a. 1708. p. 15. seq. (dd) quae proditit Romae a. 1705. in 4to.

omnino sit dicendum, quod et in libris scriptis nonnullis in loco Ciceronis, quem explicuimus, *fastidium* non vero *fastigium* inueniatur (ee).

Sed nunc illuc, vnde diuertit, mea redit tractatio. Ego quoque PATRI PATRIAE CLEMENTISSIMO, *FRIDERICO AVGVSTO*, me sacramento obstrinxeram; mens mea quoque OPTIMO PRINCIPI, *CHRISTIANO FRIDERICO* idem iamiam praestiterat. O quam valde igitur a meo aberrarem officio, si cineres *Vtriusque* omni, qua possum, diutius cessarem profequi pietate! Recordor, quam sincera, quam ardentia pro *Vtriusque* salute publice conceperim vota (ff). Recordor, quantopere felicissimum atque exoptatissimum *FRIDERICI AVGVSTI* in patriam nostram reditum sim lactatus. Sed recordor etiam, quanto dolore cum tota Saxonia fidelissima non sim delibutus, sed potius perfusus, nuntio de *HUIUS* patriae suae AMANTISSIMI REGIS, licet aetate PROUECTIONIS, morte ad nos allato. *FILIUS INDULGENTISSIMUS*, ipsisque Titus et Traianis optimis MELIOR, *FRIDERICVS CHRISTIANVS*, delictum nostrum post mortem etiam desideratissimum, excitauit afflictos Saxones, eosque saluti desperare vetuit. Eos de rebus suis dissentientes confirmavit, erexit, recreauit. Spe mulcebamur non inani, fore, vt, *Illo* res curante, aurea in Saxonia redirent secula. Peramans erat suorum Saxonum, qui *Ipsi* haerebant in medullis; sed *quem* illi etiam in oculis ferebant, et in sinu atque deliciis habebant. Iure de omnibus veris fidelibusque Saxonibus, quae Plinius de Romanis sub Traiano viuentibus (gg), praedicare possum, quod Deum summum sint precati, vt beneficio huic suo fauere, tantoque muneri addere vellet perpetuitatem. Non distringebant Deum votis, non pacem, non concordiam, non securitatem, non opes abant,

(ee) cf. Hieron. Ferrarium loc. et p. cit. (ff) Programm. de Nonnullis Longi Belli Malis, public. d. 21. Mart. 1763. (gg) Panegyri. Traian. dict. Cap. 94.



bant, non honores: simplex cunctaque ista complexum vnum omnium votum erat, SALUS PRINCIPIS, SALUS *FRIDERICI CHRISTIANI*. Spes haec cuiusque ciuis pii animum mulcebat, sed eheu! miserrime fallebat. Ego quidem salua veritate de me praedicare possum, quod illum hauserim dolorem vel acerbissimum in vita, qui et adhuc fixus animo haeret, subito fulmine percussus, certiorque factus, summo omnium rerum humanarum arbitro, muneri suo, *FRIDERICO CHRISTIANO*, perpetuitatem addere non placuisse. Et profecto haec scribens ita refrico hoc vulnus, quod nondum consenuit, vt non possim, quin *Nostri*, quamdiu vlla reliqua erit posteritas, summopere *Laudandi FRIDERICI CHRISTIANI* morti illacrymer. Tantum nempe Sibi, breuissimo licet temporis spatio, pepererat amorem, vt non dubitem, non paucos, si fieri potuisset, vitam *Eius* suo redempturos fuisse sanguine. Quoniam vero nullus dolor est, quem non minuat aut molliat tempus (hh), vel, vt melius loquar, sanctissima religio: nos quoque moesti veneramur occulta quidem, at sanctissima sanctissimi Dei consilia, cui vota nostra, pro *Huius Incomparabilis Principis* salute concepta, audire atque probare non placuit. Interea vero memoria *Eiusdem* sempiterna atque gratissima omnium eorum mentibus erit infixata, qui Saxonum fidorum nomen non solum profiteatur, sed re vera habent. Nos non quidem consecramus Hos *Principes duo Optimos*, non exstruimus *Ipsis* fastigium, quod impium foret, sed Fastigatos *Illos* nominisque gloria Immortales iure praedicamus.

*Ipsis* praeterea, quos munimenta atque firmamenta Saxoniae reliquerunt, piissima (ii) consecramus vota. Addat igitur Deus Optimus Maximus perpetuitatem muneri, quod nobis nunc dedit, *FRIDERICO AVGVSTO*, PRINCIPI ELECTORI NOSTRO SERENIS-

)(

(hh) Ser. Sulpit. in Epist. Ciceronis ad Familiares, Libr. III. Epist. 5. (ii) Hac voce cum Cicerone, Seneca, Tacito aliisque vti liceat.

NISSIMO, AMATISSIMO, patriarumque virtutum *Heredi*, morbo periculoso nuper, omnibus nobis impense gaudentibus, releuato! Secundum sine vlla offensione cursum, auspiciatissimumque aliquando summae rerum in patria nostra fuscipiendae Deus Ipsi concedat initium! MATREM, dignitatum multarum insignibus FASTIGATAM, ANTONIAM PIENTISSIMAM, E BAVARIA AD SAXONIAM LEUANDAM DIUINO CONSILIO MISSAM, GENUINAM ILLAM ANNAM SAXONICAM prosperet, beer atque longa annorum serie fatiet! XAVERIVM, HEROEM STRENUUM, SAXONIAEQUE PALLADIVM atque PRAESIDIVM ornet, roboret, confirmet! Omnem STIRPEM REGIAM atque ELECTORALEM conferuet, firmet, *Ipsique* perennitatem clementissime concedat! Pauciores sunt haec voces, quas pro salute DOMVS SAXONICAE NOSTRAE hic expressit calamus: plures vero sunt, quas animo voluo, et quas neque haec, neque plures capere possent paginae. Annuat modo istis Deus, et has in cassum missas esse ne sinat preces, pro salute DOMVS SAXONICAE et communis nostrae patriae nuncupatas!

Liceat vero etiam nunc mihi alij satisficere officio, et indicare, qua de re oratores nostri sint dicaturi, et quales ii, qui scholam nostram sunt relicaturi, se apud nos gesserint, attestari. Tres nimirum e schola nostra honeste sunt mittendi, eidem simul vltimum acclamaturi vale. Primus nempe est Iuuenis animo ingenuo et ingenio vegeto instructus,

ABRAHAMVS HENRICVS HAMMERDOERFFER,  
Io. Georg. Polit.

Per sex et quod excurrit annos nostrae traditus fuit fidei, et vocari se passus est ad Musarum virtutisque tramitem, ac monitis praeceptorum, paterno more factis, omnino reliquit locum. Quare factum est, vt linguarum, hebraicae pariter ac graecae latinaeque fundamenta imbiberet, aliarumque, in schola suppeditatarum scientia-

entiarum non expers sit dicendus. Animum minus fucatum candoremque sincerum prae se fert, concordiaeque in primis est studiosus. Nec a Dei cultu, primo omnium hominum adeoque etiam iuuenum officio, abhorruit; quare et Deum, pauperum certissimum auxilium, ei non defuturum, sed Patris, quo priuatus est, locum adimpleturum esse confido. Vltima vice apud nos dicturus verba latina faciet de FRIDERICI SAPIENTIS, Principis Electoris Saxoniae, sapientia in genere, versibusque germanicis nos valere iubebit. Hunc sequetur Iuuenis, quem inter ornamenta scholae nostrae iure referimus, nempe probus, diligens atque honestus,

FLORENS CHRISTOPHORVS HAERTEL,  
Schneebergensis.

Paratus ad falsa laudator non sum, sed etiam veritatem tege-  
re non possum. Optima igitur fide testor, quod talem hunc semper deprehenderim, qualem, si vota valerent, mihi filium optauerim. Deum sincere colit atque veneratur, praeceptores suos honorauit, morum elegantiae semper studuit, et omnes adhibuit machinas ad profectus suos in studiis augendos. Auxit etiam eos felicissime, ita, vt eum egregie profecisse in Hebraeorum, Graecorum, Romanorum atque Gallorum linguis, Chaldaicam suo Marte attigisse, Poesin et latinam et germanicam, aliaque, quae ad humanitatem pertinent, amplexum esse, candide testari possim. Gratulor itaque PRAECELENTISSIMIS PARENTIBVS, mihi AMICISSIMIS, tantae spei filium, tam dignum academiae candidatum, *Ipsisque* aequae ac filio, filii instar a me dilecto, quaeuis bona adprecor. Nunc, nam iam aliquoties e cathedra nostra dixit, dicit hebraice, gallice atque graece de FRIDERICI SAPIENTIS amore erga pacem, et terso carmine vernaculo bona vota concipiet. Illius locum postea occupabit Iuuenis per paupertatem nec a probitate, nec a tenero Mufarum amore retractus,

FRIDE-



QK T/c 15/12

X 3684655

FRIDERICVS GOTTLOB SCHMIEDER,

Seyda Misn.

E *Riedermanni* Celeberrimi disciplina ad nos profectus per quinque fere annos fuit noster; et quamdiu noster fuit, talem cum cognouimus, qualem primo adspectu iudicauimus. Fuit enim modestus, a consortio malorum abhorruit, sacris diligenter interfuit, et scholam pro officio suo frequentauit. Mirandum est, quod, multum temporis alimentis sibi parandis dare paupertate coactus, et in linguis, quae apud nos docentur, et in aliis, quas schola tradit, tam bene profecerit, vt nunc ad altiora suo progredi iure. Osi huic iuueni proba, ingenuo atque dextro, sed Parentibus iam dudum orbato, et cum summa fere paupertate consistenti, Deo Beneuolos Viros, eius inopiam subleuatuos, excitare placeret! Ne cede malis, mi Schmiedere, sed porro Deo fide et diligentiam exerce! Nunc apud nos latine loquetur de FRIDERICI SAPIENTIS amore in eruditos et eruditionem, versibusque germanicis pro acceptis beneficiis gratias aget. Tribus hisce totius scholae nomine felicem studiorum successum versibus vernaculis optabit, et *Auditoribus pie Colendis* gratias aget Iuuenis ingenuus Musisque natus,

GOTTLOB HENRICVS SCHREYER, Schneeberg.  
praemissa oratione latina, qua *FRIDERICVM CHRISTIANVM* nuper nobis Ereptum, cum *Friderico Sapiente* comparabit.

Adeste, quaeso, INSPECTORES SCHOLAE GRAVISSIMI et *Viri* omnium ordinum rite *Colendi*, et hic et in vicinia degentes, *Principum*, praeterito anno nobis *Ereptorum*, pie memores, hunc actum frequentate, nostris conatibus fauete, et de nostra grata mente certi sitis atque persuasi. P. P. Schneebergae, d. VI. Calend. Mai.  
a.r.f. clb CCLXIII.



VD 18

m. f.



R.N.  
431,02

II c  
1512

PRAEMISSA HAC BREVI  
DE FASTIGIO APVD VETERES ROMANOS VSITATO  
PROLVSIONE

MEMORIAM  
POTENTISSIMI

FRIDERICI AUGUSTI

REGIS SARMATARVM ATQVE PRINCIPIS ELE-  
CTORIS SAXONIAE SERENISSIMI

NEC NON

IMMORTALITER MERITI DE SAXONIA ATQVE  
INCOMPARABILIS

CHRISTIANI

ET ELECTORIS SAXONIAE  
SPATIO EHEV  
PIE VENERATVR

LAE GRAVISSIMOS  
IGNITATE FLORENTES  
VS FAVENTES AD  
ANDVM

EDICTORIVM  
E APRILIS POST FINITA  
VTINA  
CONVOCAT

OTT MULLER,  
T SOCIET. CHRIST. CARIT.  
FLORET COLLEGA.

LDIANIS  
CLXIII.

BIBLIOTHECA  
POMERANIA

